



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

6. De quadragesimali jejuniis, & Missa Feria 4tæ Dom. 4. in Quadrag.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

batho, in quo Christus sepultus, & ingens Apostolorum mœror fuit ob Christum mortuum. Quæ in horto Christo agonizanti & capto contigere Feriâ quintâ sub noctem, referuntur ad Fer. 6tam. Ipsa Feria quinta semper à nobis festivè potiùs celebranda est ob institutam die illo à Christo Cœnam Eucharisticam & Ascensionem ejus in cælum.

Tres Missæ celebrantur in festo Nativitatis Domini in signum, quòd Christus natus sit in salutem omnium, qui in lege naturæ scripta, & in lege gratiæ fuerunt, sunt & erunt.

6. De quadragesimali jejunio, & Missa Feriæ
4ta Dom. 4. in Quadrag.

Quadragesimæ (Vide Gav. l. c. tit. 5.) ritus est ab Apostolis. Tres causæ adferantur Quadragesimalis jejunii. 1. Ut quadragenarius jejunii numerus ab Elia, Moyse, & demum à Christo expletus, & à nobis impleatur, & tempore hoc Christo patienti re ipsâ compatiatur, 2. Ut verno tempore libido concitata faciliùs reprimatur. 3. Ut, sicut Hebræi post 40. annorum captivitatem in Judæam reduces celebrârunt Pascha, ita & nos Christiani peracto 4dragesimali jejunio & corporis mortificatione lætum quoque celebremus Pascha seu festivam resurrectionem Salvatoris. Quia autem demptis Dominicis Quadragesimæ supersunt tantum 36. dies jejunii, ut quadragenarius numerus exactè impleretur, juxta Baron, tempore Caroli M. & Stephani Papæ (alii priùs id practi-
carum

carum esse dicunt) additi fuere dies jejunii quatuor à Feria 4. Cinerum. Sicut & ob eandem causam, qui in Cœna Domini & Sabbatho Sancto non jejunabant, cœpere jejunium quadragesimale à Quinquagesima & à Sexagesima; qui Feriis item quintis singulis non jejunabant; & demum à Septuagesima, qui simul Sabbathis non jejunabant.

De Missâ Feriæ 4tæ (vide Gav. l. c. Tit. 6.) Dominicæ 4tæ in Quadragesima ob insertas ei duas lectiones [quæ Feriis quartis in 4. temporibus tantum multiplicantur] meretur observari. Quod die illo olim fiebat scrutinium baptizandorum in Paschate; & inter septem per annum scrutinia hoc erat maximum. Ità ordo Rom. scrutinium quidem hoc jam non est amplius in usu. Missa tamen mansit eadem, in qua Catechumenis dicitur in introitu: *Effundam super vos aquam mundam.* Idem repetitur in prima Epistola; & in secunda dicitur *Lavami.* Et in Evang. cœcus natus, nondum loquens, repræsentat Catechumenum teste S. Aug. Feria 4. majoris hebdomadæ etiam quidem habentur in Missa duæ lectiones; sed hoc fit ob ordinationes futuras Sabbatho Sancto.

7. *De Dominica Passionis & Palmarum.*

Ante Dominicam Passionis fuit habitum consilium à Judæis de occidendo Christo. Ideo mœstitia major convenit in Ecclesiasticis officiis. Hinc etiam in introitu Missæ non dicitur *Gloria Patri*, Psalmus *Judica.* Et in primis